



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædidit usq[ue] in annum
præsentem XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

Luther, Martin

Basileae, 1520

VD16 L 3411

R. P. Ac Theologi Vere Christiani Martini Lvtherii Sermo de digna
praeparatione cordis pro suscipiendo sacramento eucharistiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34878

R. P. AC THEOLOGI

VERE CHRISTIANI MARTINI LVTHERII

Sermo de digna præparatione cordis pro susci-
piendo sacramento eucharistiæ.Manifeste
mortalia con-
fitenda.Inuidia &
odium proxi-
mi potissimū

PRIMO necessariū est, ut omnia peccata manifeste morta-
lia confitearis atq; doleas. Manifeste dico, quia occulta ne-
mo scire potest, iuxta illud Psal. xvij. Delicta quis intel-
ligit?

SECUNDO, inter omnia peccata mortalia, præcipue
inuidiam, displicentiam, aut quācūq; prorsus amaritudi-
nem cordis erga proximum tuum deponas. Non est enim
aliud peccatū æque huic sacramento aduersum atq; discor-
dia, contrarium est enim & nomini, & rei huius sacramenti. Nomen est cōmu-
nio. Res, unitas cordium, sicut una fides, unum baptisma, unus deus, una spes,
ac prorsus omnia eadem & cōmunia. Quod & figuratur in speciebus sacramen-
ti. In quibus multa grana, amissa singulorum differentia in unū panē, item uix
multæ amissa sua quoq; differentia, in unū uinum redactæ sunt.

Communio,

Nullus speret
humano stu-
dio omnē eri-
ga omnes a/
maritudinē
deponere
posse.

TERTIO, quia iuxta scripturam, Stultus est qui in corde suo confidit, cūq;
nullus sit hominū, qui nō habeat debitorem (ut beatus Augustinus ait) nullus
est qui non inueniat, aut certe nō aduertit, uel ignorat sese inuenire in aliquibus
uel aliquo, quod sibi displiciat, desperandum est tibi de tuo studio, quod nō po-
teris omnem erga omnes amaritudinē deponere. Ideoq; iuxta CHRISTI cō-
siliū, intres cubiculum, ores patrem tuum, ut ignorantias tuas nō meminisse
uelit, & id per gratiā suam facere, quod tuis uiribus nō potes, id est, cor dulce &
cōmune dare. Sed hæc præparatio est remota, etiam confessuro necessaria, & quālibet
bet sacramentum recepturo. Ideo.

Animā uacu-
am & esuriē-
tem offeras.

QUARTO oportet, ut animā uacuā & esuriētem offeras, id est, te plenum
multis malis morbisq; animæ confitearis, sicut in ueritate es, etiā si forte nō sen-
tias, nam (ut B. Augu. ait) iste cibus nihil æquæ odit, ac saturum fastidientemq;
stomachū. nihil ita quærit, sicut animam esuriētem & sitientē, ut ipse quoq; do-
minus Matth. v. Beati qui esuriunt iusticiam, qm̄ ipsi saturabuntur. Item beata
uirgo: Esuriētes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Et Psal. cvj. Quia sa-
tiauit animam inanē, & animam esuriētem satiauit bonis. Bona uero quæ sunt

Bona animæ

alia q̄ illa, quæ Galat. quinto recitat Apostolus: Fructus spiritus sunt charitas,
gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, longanimitas,
modestia, continētia, castitas. In ijs si te sentis deficere, & gemis, optasq; illa ob-
tinere, securus accede. Nusq; enim inuenies illa nisi in isto sacramento.

COROLLARIUM.

Optima dis-
positio est in
sui indisposi-
tione.

Optima dispositio est, nō nisi ea qua pessime es dispositus, & ecōtra, tūc pessimē
me es dispositus, qm̄ es optime dispositus. Quod sic intelligit, quod qm̄ sentis te
miserrimū & egenū gratiā, iā eo ipso capax es gratiæ, & idoneus maxime. Rur-
sus plusq; mortē & infernū timeas, ne qm̄ sic accedas, ut tibi dispositus uidearis
ac dignus, quasi allaturus deo cor mundū, qd potius ibi fuerat quærendū & recipiendū.
Stat firma & insolubilis sentētia: Nō est opus medico bñ hñtib; sed male hñtib;
Nā sicut nō tūc, ita nec nūc Chrs uenit uocare iustos, sed peccatores a poenitentiā
Ideo

Ideo poenitentia potius post, q̄ ante sacramentum digne peragitur. Deus tuus est bonorum tuorum non indigens, sed bonorū suorum largus in te uenit ad te.

COROLLARIUM. II.

Magnus & perniciosus error est, si quis accedat ad sacramentum, ea nixus fiducia, quod confessus est, quod non est sibi conscius mortalis peccati, quod orationes & preparatoria sua premiserit. Omnes ij iudicium sibi māducāt & bibū, quia ihs omnibus non fiunt digni, neq; puri, immo per eā fiduciā puritatis peius polluantur. Fiunt autem puri per fidem, ut sequitur.

Fiducia puritatis a pctō p nicioſa.

Quinto, id cura, ut cum plena aut saltem possibili fide accedas, certissime confidens tete gratiam consecuturum. Tantum enim accipies, quantum credis te accepturū. Sicut Christus ait: Quicquid orantes petieritis, credite q̄ accipietis, & fiat uobis. Et iterum dicit tibi illud. Fiat tibi sicut credidisti. Si enim accederes sine ista fide, iudicium tibi omnino acciperes & mortē. Sic em̄ in omni alto sacramēto non nisi illusio & fictio agitur, si sine fide suscipit, quod est horrendum. Hæc itaq; fides sola & summa ac proxima dispositio, facit uere puros & dignos: Quia non nitit̄ in operibus aut uiribus nostris, sed in purissimo, pijsimo, firmissimoq; uerbo Christi, dicētis: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Et iterum: Beati qui esuriunt & sitiunt iusticiā quoniam isti saturabuntur. Fides em̄ est que iustificat, purificat, dignificat. Et Actuum. xv. Fide purificans corda eorum.

Fides iustificat.

COROLLARIUM

Quicquid sit de cōtritione tua, de poenitētia uera uel falsa, illud maxime stude, ut in præsumptione istorum uerborum Christi accedas. Et sic accedens illi minaberis, & facies tua non confundetur. Vel matrem eius noli mendacem facere, ubi dicit: Esurientes impleuit bonis. Et multo magis, ne ipsummet dominū arguas mendacij, ubi promittit: Venite ad me omnes. Argues autem mēdaciū, si non credis eū ita facturū tibi sicut promittit. Ideo infidelitas est maximum peccatū, & recta blasphemia in charitatem diuinam.

Fiducia uerborū Christi accedendū.

Non credere maximū peccatum.

Sexto: Si sentis te nec ista duo posse, uel satis posse, si uere senties, si teip̄m probes, hic nō ueriaris cum Apostolis dominū orare: Dñe adauge nobis fidē. Et cū illo patre dæmoniāci, Marci. ix. Domine, adiuua incredulitatē meam. Sic intra in cubiculum tuum, & dic patri tuo in cœlis: Ecce mi domine Iesu Christe, miseriam meam respice, inops & pauper sum ego, & tamen adeo fastidiosus medicinæ tuæ, ut nec diuitias gratiæ tuæ suspirem. Accende in me domine desyderiū gratiæ tuæ, & fidem promissionis tuæ, ut non offendam te optimū deum meum peruersa mea & incredulitate & saturitate mea. Ac sic accede cum fiducia misericordiae eius, & in timore indignitatis tuæ. Sed hic tractādum est illud Apostoli prima Corin. undecimo: Probet autem seipsum homo, & sic de parte illo edat &c. Hoc uerbum multi sic intelligere uidentur, ac si uelit Apostolus nos nō ante accedere, q̄ donec inuenerimus nos dignos & puros ab omni peccato. ideo sibijpsis faciunt angustiam & carnificinam conscientiae, discutiendo, conterendo, confitendo non solum uenialia, sed ea quæ nō sunt peccata. Et ihs factis (qd̄ est horrendum barāthrū præsumptionis) ita secure accedūt, nec de fide sua qui cōsoliciti, uolunt em̄ iusti & digni uenire, & similes deo sicut Lucifer, cū deberent uelle iusti & digni fieri & redire a deo.

Precatio pro fide.

Probet seipsum homo intelligitur.

Igitur illud uerbi dictum est contra eos qui Christum diuidebant in diuersas sectas, alij uolentes esse Pauli, alij Cepha, alij Apollo, alij Christi. prima Corin. iij.

Corin. iij. Et ideo inuicem iudicabant Et damnabāt atq; cōtemnebant. Insuper ad sacramentum alij alios praeueniebant, & praesumebant ut alij uēturi nihil haberēt, ut clare ex textu & glossa beati Ambrosij patet. Quos Apostolus arguit & pronunciat indigne manducare &c. Volens ut seiplos potius probarent, iudicarent, damnarent, & non alios. Ea enim discordia (ut supra quoq; diximus) maxime facit indignos & reos corporis domini. Et hanc eius esse sententiam sequentia ostendunt. Itaq; fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicē expectare, ne in iudicium conueniatis. Item; Si nosiplos iudicemus, nō utiq; iudicemur a domino. Item; Non dījudicans corpus domini, quasi diceret, ita acceditis, ac si corpus domini nihilo esset dignius reliquo pane naturali. Potest quidem illud uerbum etiam de probatione intelligi, qua homo peccata sua discutit atq; ponderat. Sed ea non est satis, nec p̄tinet nisi ad insensatos & crassos illos sacramenti contemptores. Non enim sufficit ut probes & ponderes, q̄ malus fueris, nisi magis ponderes & probes, q̄ bonus fieri cupias & anheles.

Temerariū
iudicium pro
hibuit.

De peccatorum
examine in/
telligi potest.

COROLLARIUM I.

Si Apostolus per ea uerba uellet nos probari a nobis, usq; dū digni fieremus, prorsus ad impossibile nos obligasset, & omnes homines, etiam sanctos cōmunionē priuasset. Sibi deniq; ipse in pluribus locis contradixisset, ubi clamat, omnes esse peccatores, & sola fide iustificandos. Oporteret enim accessurum ad sacramentum esse certissimum, se sine omni peccato mortali esse, si non uelit iudiciū sumere. At impossibile est ut ex se & suis uiribus certus fiat, iuxta illud; Delicta quis intelligit? Et illud Hieremīae: Prauū & inscrutabile est cor hominis, quis scrutabitur illud? Ego dominus scrutans renes & corda. Relinquitur itaq; ut certitudo illa stet super firmā infallibilemq; petram, id est, Christum & uerbum eius.

Dignus ne/
suo ex se.

COROLLARIUM II.

Quare uera & solida probatio est, si te inueneris inanem quidem & sine pondere salutis & iustitiae, onustum uero ac laborantem in multis malisq; cupiditatibus. Quibus inuentis, anhelus sitias gratiam & misericordiam, easq; non dubites te te consecuturum. Sic beatus Gregorius reprehendens Petrum, quod dominum iussisset exire a se, quia peccator esset, ait: Si te peccatorem agnoscis, nō oportet repellere dominum a te, sed multo magis inuitare. Et beatus Ambrosius Quia quotidie pecco, necesse habeo quotidie cōmunicare. Et quidam patrū cōsuluit, ne facile quis se abstineret a cōmuniōe, ne forte simul & lōge fiat a Christo. Non enim uenenum nobis dedisse ac reliquisse timendus est. Qui nouissimum ac maximū charitatis, quam ad peccatores gerit, memoriale seipsum protestatur nobis reliquisse, dum institueret sacramentum illud. Septimo: Si tandem adeo infirmus es in fide, ut nec illa te satis iuuent, aut nō possis ea praestare apprehende illud nouissimum infirmorum remedium, & permitte te sicut infantem gestari in ulnis & sinu matris ecclesiae, immo cum paralytico in lectulo ut dñs fidē illorū saltem intueatur, quando tua nulla est, id est, ut infide uel uniuersalis ecclesie, uel hominis fidelis tibi noti accedas, & audacter dicas domino Iesu; Ecce domine mi Iesu Christe, doleo me tam infirmū, ut de tuo inestimabili in nos amore nihil aut tam purum praesumam. Ideo suscipe me in fide ecclesiae tuae, & illius aut illius hominis. Quicquid enim sit de me, necesse esto domine me obedire ecclesiae tuae, que iubet ut accedam. In obedientia uenio saltem, si nihil aliud affero. Et crede firmiter, quod non indignus accesseris

Vera & solli/
da iustitius
probatio.

Indignum te
agnoscas clā/
mentiae dei.

In fide ecclia/
accedas.

feris. Non est dubium quin obedientiam ecclesie tanquam sibi factam acceptet. Deinde non potest fieri ut ecclesie fides te permittat perire, non magis certe quam parvulum, qui alienae fidei merito baptizatur & saluatur. Sic beatus Bernardus, cum aliquando fratrem haberet nimis timidum & scrupulosum, ita ut nollet celebrare, ait ad eum: Vade mi frater, & celebra in fide mea. Iuit ille obediens, & sanatus est ab omni languore conscientiae suae. Haec itaque latius dixi, quia compertum habeo, multorum concionatorum terroribus eo redactas Christianorum conscientias, ut sibi ex Christo Mosen fecerint, ex gratia legem, ex remedio uenenum, dum Christum falso imaginantur exactorem magis quam largitorem, ultorem magis quam propiciatorem, & in summa, damnatorem, non saluatorem: ita ut iam nec nominis sui, quod est Iesus Christus, id est salutaris & unctio, gloria sit in cordibus nostris, nisi nudis syllabis. Non igitur omnibus oportet terribiles iudicij minas intentare, sed duris & insensatis. Trepidus uero atque scrupulosus, leuius misericordiae promissiones sunt declarandae, quia alia medicina alijs morbis conuenit.

Obedientia ecclesiae utilis.

Ex Christo Mosen faciunt

Octauo. Nec illud omittendum, immo maxime curandum, ut memoria passionis Christi non omittatur. Quid enim prodest si digne prepareris, & non impleas id ad quod te preparasti? Nam praecipit dominus, id sacramentum non nisi in memoriam sui celebrari: ideo omittendum est, si memoriam eius omittere uoles. Sic dixit: Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Et Paulus Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec ueniat. Inde enim statuit ecclesia, ut missa sine euangelio non legatur. Haec memoria autem alium requirit sermonem, quia non minus & ipsa in superstitiones, & literalem hypocrisim apud multos uersa, quam plerumque alia sacratissima dona dei.

Memoria passionis Christi.

Euangelium in missa legendum
Literalis hypocrisis.

QUOMODO CHRISTI PASSIO
SIT CONSIDERANDA.



HOMINI non est necessarium ut Christum in ipsius passione deploret, sed magis seipsum in Christo. Nam passio Christi (ut sanctus pater Augu. dicit) non solum nobis exemplum est, ut sequamur eius uestigia, & in nobis membra terrena crucifigamus, sed etiam est sacramentum & mysterium, Christum per suam temporalem & corporalem passionem nostram spiritualem perpetuam passionem ueteris hominis uicisse & crucifixi se. Itaque passionem Christi utiliter uel auditurus, uel lecturus, uel consideraturus, tale concipias necesse est affectum, tanquam ipse eandem passionem in & cum Christo patereris. Ergo audiens Christum flagellatum uel percussum, considera hoc significari te spiritualiter flagellatum uel percussum. Sicut igitur tibi, si modo sanae mentis homo es, dolet te spiritualiter a morte peccati & spiritu maligno cruciari, ita dolet & quidem uehementius dolet id Christo propter te in sua passione. Tu pateris ex merito, Christus propter te, & innocenter, portans in cruce non sua, sed tua peccata. Ita consistebat latro in cruce passionem Christi. Sic & discite ex corporali passione Christi, cognitionem tuam spiritualis passionis, & noticiam tuam ipsius. Christus in sua passione personam nostrorum peccatorum suscepit, ideo nos in cordibus nostris tales coram deo apparere debemus.

Homo seipsum in Christo deploret.

Christus flagellatus.

sicut

sicut ipse coram hominibus pro nobis apparuit. Et quemadmodum ipse propter nos lamentatus est, ita debemus nos ipsos super eum deplorare: sicut mulieribus dixit: Nolite flere super me, sed super uos & super filios uestros. Igitur qui seipsum non intelligit & inuenit in passione Christi, eam non intelligit sufficienter, & frustra compatitur Christo, siue Christi uicem dolet, quia ex Christi passione non discit sibi ipsi compati. Ideo pro te Christus fleuit, conuestus est & passus, ut discas tuam propriam passionem & miseriam ante deum deplorare. Nam te recognoscens coram deo filium mortis, merito debes flere donec perpetuo libereris. Si ergo ita efficaciter tuam miseriam in passione Christi recognosceres, facilis tibi esset humilitas, mansuetudo, clementia, contemptus mundi, & cetera libenter etiam Christum in omnibus ipsius sequeris passionibus. Quis enim nollet flere uidens suam miseriam esse tantam, ut pro ea aeterna, infinita & innocens persona pateretur: nam terribile est auditu, neque mirandum in parte nostra, si quis nostrum penitus desperaret, tantam miseriam considerans, nisi e diuerso magna dei misericordia in solatium succurreret, per quam nemo in deo de sua salute desperare debet. Si enim deus filium pro nobis tradidit, dedit etiam in ipso nobis omnia. Quapropter uocatus in conscientia tua in accusationem, poenam, & mortem coram deo tunc confitere & deplora id totum ex merito uenisse, & respice Christum omnia innocenter & immerito patientem, id quod unicum tibi solatium sit.

Miseria nostra in Christo defendenda.

FINIS.

ACTA REVEREN-

DI PATRIS MARTINI LVTHERII AVGVSTINIANI APVD D. LEGATVM APOSTOLICVM AVGVSTAE.

PIO LECTORI F. MARTINVS LVTHERIVS S.



Aurium pietas

GNOSCE mihi chariss. lector, quod toties nugis meis horas tibi perdo, facio id multum inuitus, dandum rogo putes & hoc necessitati. Placuit in caelo, ut & ego fabula hominum fierem, quod tamen sic me debere domino confiteor, ut non dubitem, totum ihs quoque hominibus tribuendum, quibus tanta est aurium pietas, ut suauissima praesentis simaque ueritate offendatur usque ad insanam cordis & oris & operis impietatem. Vexauerunt iam diu Ioanem Reuchlinum secretarium consultorem, uexant nunc me quaestionarium (ut sic dixerim) disputatorem, nec consilia, nec disputationes passuri. Speramus fore deinceps, ut praeter ocio suo infelicissimo, somnia quoque & cogitationes mortalium nexent. Quis enim ab ihs Behemoth dentibus securus est, quando eos deuorant, qui secretum te consulunt, aut aperte doceri tantum petunt. Nouum (deum immortalem) & memorabile crimen, uoluisse doceri, & quaesiuisse ueritatem. Atque id in Ecclesia regnoque

Voluisse doceri, aut aperte doceri tantum petunt.